Diözese Passau / Salzburg,

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Nouissime autem misit ad eos filium suum dicens: Verebuntur
filium meum. Agricole autem videntes filium: dixerunt intra se: Hic
est heres. Venite occidamus eum: et habebimus hereditatem
eius. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam:
et occiderunt. Cum ergo venerit dominus vineae: quid faciet
agricolis illis? Aiunt illi: Malos male perdet: et vineam
suam locabit alijs agricolis: qui reddant ei fructum temporibus suis. Dicit illis Ihesus: Numquam legistis in
scripturis: lapidem quem reprobauerunt edificantes hic factus
est in caput anguli: a domino factum est istud: et est mirabile
in oculis nostris. Ideo dico vobis: quia auferetur a vobis
regnum dei: et dabitur genti facienti fructus eius. Et
qui ceciderit super lapidem istum conteretur: super
quem autem ceciderit conteret eum. Et cum audissent
principes sacerdotum et pharisei parabolas eius:
cognouerunt quod de ipsis diceret. Et quaerentes eum
tenere timuerunt turbas: quia sicut prophetam eum habebant

Sabbato post dominicam

Sabbato post dominicam

In diebus illis: Dixit Rebecca
Isaac suo Jacob: Audiui patrem tuum loquentem cum esau
fratre tuo: et dicentem ei: Affer mihi de venatione tua et
fac cibos ut comedam: et benedicam tibi coram domino
ante quam moriar. Nunc ergo fili mi acquiesce con
silijs meis: et pergens ad gregem affer mihi duos
hedos optimos: ut faciam ex eis escas patri tuo qui
libenter uescitur: quas cum intuleris et comederit:
benedicat tibi priusquam moriatur. Cui ille respondit:
Nosti quod esau frater meus homo pilosus sit et
ego lenis: Si ad tractauerit me pater meus: et sen
serit: timeo ne putet me illusisse illudere et in